

Secundo, agit de alio statu perfectionis, scilicet religiosorum de quo tractat quatuor. Primo, in quo consistat ille status. Secundo, quæ actiones licite conveniant religiosi. Tertio, de divisione religionum. Quarto, de ingressu in religionem. Circa primum, status religionis importat mancipationem, et obligationem ad serviendum Deo, et tendendum ad perfectionem charitatis per exclusionem eorum quæ id possunt impedire. Et quia tria sunt, quæ hominem maxime retrahunt, et impediunt a Deo, scilicet bona exteriora, quæ possidentur, bonum proprii corporis, quod per delectationem sensibilium impletur, inter quæ excellunt delectationes venereæ, et denique bonum propriæ voluntatis, quod maxime consistit in libertate propria, ideo status perfectionis in religiosi tria ista debet amputare. Primum per votum paupertatis, secundum per votum castitatis, tertium per votum obedientiæ, et debent esse voto firmata, ut perpetuam stabilitatem habeant ex parte sui sicut requiritur ad rationem status. Et ad hæc tria reducuntur omnia, quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, contra quam est castitas: concupiscentia oculorum, quæ pertinet ad possessionem divitiarum, contra quam est paupertas: superbia vitæ, quæ est libera elatio spiritus, contra quam est subjectio obedientiæ. Et de hoc agit quæstione CLXXXVI.

Circa secundum, excludit ea quæ aliqui dicebant circa actiones religiosorum volendo non esse illis li-

eitas, sicut docere, prædicare, tractare sæcularia negotia quando id exigit charitas, emendicare, et de eleemosynis vivere, et aliæ similes actiones, quæ ad finem charitatis ordinantur, et contra regulam non sunt, quas ostendit licere religiosi quæstione CLXXXVII.

Circa tertium, scilicet divisionem, et varietatem religionum, ostendit omnes religiones convenire in uno fine communi, scilicet quod ad perfectionem charitatis tendant, sed differre in mediis, seu finibus particularibus quos unaquæque intendit ad assequendum diversimode istum finem, vel etiam secundum quod habentur in una religione diversa exercitia, quam in alia secundum majorem, vel minorem rigorem, vel austeritatem, etc. Unde ad omnia illa ad quæ se extendit perfectio charitatis circa Deum, et proximum potest religio tendere, et secundum diversa opera diversimode institui, v. g. ad opera vitæ contemplativæ, ut ad orandum, studendum, psallendum, vel ad opera vitæ activæ, ut ad docendum, prædicandum, redimendum, curandum infirmos, vel etiam ad utraque opera simul, scilicet vitæ activæ, et contemplativæ, et de his agit quæstione CLXXXVIII.

Circa quartum, scilicet ingressum religionis ostendit, qui sint apti ad ingressum, quomodo liceat obligari voto ad illum, et quomodo possint pueri ad religionem induci, et admitti, quomodo etiam liceat de una religione ad aliam transire, et alia similia ad ingressum pertinentia tractat quæstione CLXXXIX.

## ORDINATIO TERTIÆ PARTIS

PER SUAS MATERIAS, ET QUÆSTIONES.

Postquam D. Thomas egit de Deo, ut est in se, et ut est causa effectiva creaturarum, et specialiter finis creaturæ rationalis ad quem pervenire potest per suos actus, restat agere de Deo, ut est via per quam regredimur ad ipsum per redemptionem a peccatis, quod est agere de Deo, ut Salvatore de cujus gratiæ plenitudine omnes accepimus; et a quo derivatur tota efficacia, et valor reparationis nostræ ad Deum. Et tractatum istum de Deo Salvatore dividit D. Thomas in tres partes principales. Primo enim agit de ipso mysterio incarnationis, et de perfectionibus convenientibus Christo, de ejusque actionibus, et vita usque ad quæstionem LX. Secundo, agit de mediis quibus ei unimur, et quibus reparationem hanc nobis applicat, scilicet de Sacramentis. Tertio, de ipso effectu, et fine ad quem pervenimus per hanc reparationem, scilicet de gloria immortalis.

## MYSTERIUM INCARNATIONIS.

Ad explicandum incarnationis mysterium præmittit D. Thomas, in quæstione I id quod pertinet ad quæstionem an est, videlicet de convenientia incarnationis. Cujus principalis causa, et motivum ex parte Dei fuit ejus immensa bonitas, et: *Viscera misericordiæ quibus visitavit nos Oriens ex alto*. Ex parte autem nostri motivum principale fuit salus nostra, propter quam descendit de cælis, et homo factus est. Unde consideratur a D. Thoma convenientia incarnationis, et ex parte

Dei, ut maxime se communicaret creaturæ, et necessitas ex parte nostri non absoluta, sed ut talis finis consequeretur, scilicet satisfactio pro peccato rigorosa, et plena redemptio. Et ex eodem principio etiam colligit, quod si hæc redemptio fuit motivum propter quod incarnatio decreta est, si hoc motivum cessaret, aliud decretum daretur, ut alio modo veniret, vel absolute non veniret. Et ita de hac convenientia incarnationis agit quæstione I.

Exinde expedita quæstione an est, transit D. Thomas, ad explicandam rationem, et substantiam hujus mysterii. Tota autem substantia incarnationis consistit in unione duarum naturarum divinæ, et humanæ in una Persona Verbi. Unde ejus consideratio consistit, tum in cognitione extremorum, et ita primo agit de ipsa unione. Secundo, de extremis unitis. De unione considerat ejus rationem ostendendo esse longe diversam ab omni ea, quam agnoverunt philosophi, et ex illis acceperunt hæretici. Philosophi enim nunquam agnoverunt unionem substantialem, quæ esset ad aliquod suppositum, et non ad constituendam aliquam naturam, sed potius naturas relinqueret inconfusas, et impermixtas in eadem persona. Unde hæretici hoc etiam non valentes intelligere declinaverunt in duos extremos errores. Quidam enim, ut Eutyches, et Dioscorus nimium volentes salvare, quod unio esset substantialis, dixerunt, quod facta erat unio in natura, ita quod ex divina, et humana resultabat una natura, non autem man-

bat utraque inconfusa in eadem persona. Unde cogebantur admittere in natura divina mutationem, seu violationem. Alii per aliud extremum, ut Nestorius, ut salvarent omnimodam distinctionem et impermixtionem naturarum, negaverunt esse unionem substantialem, sed accidentalem, ponendo, quod utraque natura erat etiam distincta persona, et ita non uniebantur in eadem persona substantiali. Alii vero proprius accedentes ad veritatem catholicam dixerunt personam quidem in Christo esse unam, sed supposita duo, quia existimabant Verbum assumpsisse hominem suppositum, et hunc ad suam personam assumpsisse, id est, ad suam dignitatem distinguentes inter personam et suppositum. Et denique alii ut hoc corrigerent dixerunt assumpsisse hominem non integrum, et suppositum, sed seorsum corpus, seorsum animam, accidentaliter tamen unita Verbo. Fides autem catholica, hanc unionem sic explicat, quod persona, seu suppositum divinum (idem enim sunt) assumpsit ad se non quidem hominem suppositum, sed naturam humanam constantem quidem corpore, et anima unitis in ratione naturæ, non tamen in se subsistentem, sed impedita propria personalitate suppositandam ipso supposito, et Persona divina. Et ita communicavit illi suum suppositum, non ut eam accidentaliter sustentaret, vel denominaret, sed ut substantialiter terminatam, seu subsistentem redderet. Et ideo ex tali unione reddita est illa persona dupliciter subsistens, id est, in duplici natura, et ideo in ratione, et officio subsistendi composita est non simplex, id est, non in una tantum natura subsistens. De hac ergo unione, et quid ponat, seu immutet ex parte humanitatis, et quomodo sit maxima unio ex parte ejus in quo

facta est, scilicet in persona, in Trinitate enim Personæ non uniuntur, sed sunt unum, et quomodo etiam dicatur facta per gratiam, et quæ merita ad eam concurrerint, tractat in quæstione II.

Explicata unione agit de extremis unitis. Est autem quoddam extremum assumens, scilicet Verbum et aliud extremum assumptum, scilicet natura humana, cum qua aliquæ etiam perfectiones coassumptæ sunt ut gratia, et scientia; aliquæ etiam imperfectiones in natura assumpta derelictæ sunt. Primo ergo agit de extremo assumente, quod est persona ad quam fit assumptio, mediante omnipotentia tamquam virtute efficiente assumptionem, et ideo omnipotentia, seu natura dicitur principium quo assumendi. Persona autem assumens intelligitur terminare naturam assumptam ratione proprietatis relativæ, quæ est ipsa personalitas divina, et quia communicant relationes divinæ in eadem virtute possunt omnes Personæ assumere eandem naturam, et una Persona plures naturas, quia infinitæ eminentiæ est in terminando, et de hoc agit quæstione III.

Deinde, agit de extremo assumpto in quo primo consideratur ipsa natura assumpta, deinde perfectiones coassumptæ, et tandem imperfectiones. Circa ipsam naturam primo, consideratur natura ipsa ut res integra assumpta. Secundo, partes istius naturæ quas etiam assumpsit. Tertio, ordinem in assumendis partibus servatum. Circa ipsam naturam, ostendit assumptam esse naturam humanam in singulari, non tamen assumpsit hominem, vel personam, ne remaneret in Christo duæ personæ, et sic non fieret unio substantialiter, et de hoc quæstione IV.

Circa partes autem naturæ humanæ, quæ sunt corpus, et anima prout

constituunt naturam, ostendit illas fuisse unitas Verbo contra aliquos hæreticos, qui erraverunt, et circa corpus, et circa animam Christi. Quidam enim negaverunt corpus Christi fuisse verum sed phantasticum, ut Manichæi. Quidam vero dixerunt fuisse verum corpus, sed cæleste non corruptibile, neque ex carne et sanguine. Unde ostendit assumpsisse verum corpus, cum carne et sanguine, et omnibus partibus pertinentibus ad veritatem humanæ naturæ. Circa animam vero alicui hæretici negaverunt assumpsisse animam, sed Verbum loco animæ se habuisse, ut Arius et Apollinaris, quod erat tollere veritatem humanæ naturæ. Alii vero dixerunt habuisse animam, sed non mentem, sed loco mentis intrasse Verbum, ut quidam ex Apollinaristis dixerunt, et contra hos agit quæstione V.

Circa ordinem vero servatum in assumendis partibus, cum ordo attendatur penes prius, et posterius, distinguit prioritatem temporis, et naturæ. Et prioritas, seu ordo temporis omnino excluditur, quia Verbum assumpsit totam humanitatem simul, et consequenter omnes ejus partes. Prioritas autem naturæ, seu causalitatis attenditur, vel ex parte rei assumptæ, vel ex parte ipsius agentis, vel assumptis. Ex parte rei assumptæ invenitur una pars prior alia, verbi gratia anima quam corpus, tum dignitate, tum causalitate, reddit enim carnem informatam et animatam, et consequenter humanam. Et sic ex parte rei assumptæ media anima assumpsit corpus, tamquam mediante parte digniori, et significante, atque constituyente carnem, sicut et animam assumpsit mediante spiritu, quia per spiritum habet esse ad imaginem Dei, et consequenter congruit fini assumptionis, qui est reforma-

tio imaginis Dei in homine. Ex parte autem agentis ordo naturæ attenditur, tum in intentione, tum in executione. Ordine ergo intentionis prius assumpsit totam naturam, quam partes, quia id quod est totum et integrum, principalius et prius intentum est, quam quod est incompletum et imperfectum sicut partes. Ordine vero executionis est e contra, quia prius in executione incipitur ab imperfecto, quam consummetur, et compleatur perfectum, et sic inchoavit a partibus assumptione. Et de isto ordine agit quæstione VI.

Post explicatum extremum assumptum quoad naturam, et partes ejus ex quibus constituitur, consequenter considerat perfectiones coassumptas in humanitate, quæ præcipue attenduntur ex parte animæ, quæ est capax istarum perfectionum. Et considerat tres perfectiones maximas in anima Christi, scilicet gratiam quæ perficiebat animam, et voluntatem; scientiam quæ perfecit intellectum; potentiam quæ excellentiam in operando præbuit.

Circa gratiam considerat D. Thomas ejus excellentiam primo, in quantum est gratia personalis, et speciales perfectiones ponit in anima Christi. Secundo, gratiam capitatis quatenus ex plenitudine sua potuit gratiam in alios derivare. Quantum ad primum ostendit fuisse in Christo gratiam habitualem, quæ accidentalem sanctitatem confert præter sanctitatem personalem qua ex unione ad Personam Verbi anima non solum participavit accidentali modo divinam naturam, sed etiam ei immediate conjuncta est in persona, et consors facta est divinæ naturæ non mediante solum qualitate, sed etiam personalitate, et præter hoc habuit gratiam habitualement cum omni excellentia virtu-

tum, et donorum quæ imperfectiōnem aliquam status non habent, ut fides et spes. Et sic dicitur esse in eo plenitudo gratiæ, quia omnes effectus gratiæ, qui dicunt perfectionem in eo fuerunt; ac denique infinitas gratiæ quæ triplex esse potest, alia in substantia gratiæ, alia secundum quantitatem, alia secundum relationem. Infinitas in substantia gratiæ non est infinitas absoluta in omni genere (sic enim solus Deus est infinitus,) sed in genere determinato, scilicet gloriæ, et sic dicitur infinita illa forma in genere, et substantia talis formæ quæ habet omnem perfectionem pertinentem ad suum genus, et sic est idem infinitas, quod plenitudo. Infinitas secundum quantitatem, id est, secundum augmentum intentionis etiam datur in gratia Christi, quia est summa saltem de potentia ordinaria, quam naturaliter exigit illa species gratiæ, licet de potentia absoluta possit crescere, et non sit infinita. Infinitas secundum relationem est infinitas dignitatis moralis, quam gratia Christi habet ex conjunctione ad Personam divinam, et per respectum ad illam, et hoc modo etiam est infinita. Et de hac gratia sic personaliter considerata agit quæstione VII.

De gratia autem Christi prout est gratia capitis agit quæstione VIII. Concurrit enim in gratia Christi triplex conditio, quæ in ratione capitis concurrit, et ideo metaphorice dicitur caput: invenitur enim ratio principii, seu primatus, ratio perfectionis, et ratio influxus, seu directionis. Ratio quidem principii, seu primatus, quia magis appropinquat ad Deum. Ratio perfectionis, quia in ipso est plenitudo gratiarum, sicut in capite est plenitudo sensuum. Ratio denique influendi, quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Et hoc etiam respectu Angelorum quos præcedit in gratia, et

plenitudine, et derivat ad eos multos effectus gratiæ, etsi non per modum redemptionis. Et de ista gratia capitis agit quæstione VIII.

Secunda perfectio assumpta a Filio Dei est scientia, in ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei. Et de hac scientia agit primo in communi, deinde in speciali. In communi ostendit non solum esse in Christo scientiam divinam; quæ convenit illi in quantum est Deus, sed etiam scientiam creatam, quæ convenit illi in quantum homo, et hæc est in triplici genere; est enim in illo scientia beata quantum ad visionem Dei, et est scientia per se infusa, qua cognoscit extra Verbum, tam supernaturalia, quam naturalia modo substantiarum separatarum. Et denique est cognitio naturalis secundum quam modo humano ex sensibus et phantasmatibus cognitionem hausit sicut cæteri homines. De hac scientia in communi agit quæstione IX. Exinde, agit de istis scientiis in particulari. Et primo, de scientia beata per quam intuitive anima Christi videt Deum, non tamen comprehensive; attingit tamen omnia quæ Deus attingit scientia visionis, quia omnia creata subjecta sunt ei, et de omnibus habet judicare, et ita omnia videt in Deo, et de hoc agit quæstione X.

Secunda scientia est per se infusa in qua consideratur, tum objectum ad quod extenditur, tum modus, et ratio talis scientiæ. Objectum quidem est omne illud ad quod se extendit revelatio divina et naturale lumen præter visionem divinæ essentiæ, qui pertinuit ad visionem beatam. Modus autem hujus scientiæ consideratur in tribus. Primo, quod non habuit dependentiam a phantasmatibus de necessitate, sicut nec scientia quæ est in substantiis separatis. Secundo, quod non fuit dependens a discursu, licet po-

tuerit uti illo, juxta modum animæ rationalis. Tertio, fuit scientia habitualis, id est, distincta per diversos habitus, quia habuit species intelligibiles minus universales quam Angeli, et fundantes diversas scibilitates. Et de ista agit quæstione XI.

Tertia scientia est acquisita per quam cognovit Christus omnia quæ lumine intellectus agentis ex sensibus cognosci possunt. Nec tamen fuit per accidens infusa ista scientia, sed modo connaturali acquisita, supposito quod habebat alias scientias, et ita acquisitio istius non supposebat ignorantiam. Non tamen didicit aliquid ab hominibus, vel Angelis, sed ab objectis hausit, licet ministerio Angelorum potuerit uti ad præsentanda sibi aliqua objecta. Et de hoc agit quæstione XII.

Ultima perfectio, quam assumpsit anima Christi est potentia. Non quia omnipotentia divina sit ei communicata, sed quia potestatem habuit dupliciter. Uno modo ut causa principalis: alio modo ut instrumentalis; ut principalis habuit virtutem ad gubernandum proprium corpus, et disponendos actus suos, et ad illuminandum per gratiæ, et scientiæ plenitudinem omnes creaturas rationales. Tamquam instrumentalis habuit potestatem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quæ ordinari possunt ad mysterium incarnationis, non tamen ad creandum, vel annihilandum. Et de hac potestate agit quæstione XIII.

Numeratis perfectionibus assumptis in natura humana, considerat defectus, seu imperfectiones quas sustinuit, et assumpsit. Sunt autem in duplici genere, quædam ex parte corporis, quædam ex parte animæ: Ex parte quidem corporis assumpsit defectus, qui comitantur corpus passibile: *Vere enim languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et ex suppositione,

quod assumpsit corpus passibile, etiam assumpsit necessitatem subjacendi eis ex parte naturæ, non necessitatem contractam ex peccato: simpliciter tamen volutarie assumpsit assumendo tale corpus. Et de his defectibus ex parte corporis agit quæstione XIV.

De defectibus autem ex parte animæ agit quæstione XV. Considerari enim possunt, vel ex parte intellectus quantum ad ignorantiam, vel ex parte voluntatis quantum ad peccatum, vel ex parte appetitus sensitivi quantum ad passiones regulatas, vel quantum ad exorbitantes per fomitem peccati. Igitur ex plenitudine gratiæ habitualis, et personalis exclusum est ab anima Christi quidquid peccati est actualiter, vel habitualiter, sive inclinationis, et fomitis in illud; totum hoc enim opponitur plenitudini gratiæ. Ex plenitudine autem scientiæ exclusum est quidquid ad ignorantiam privativam pertinet. Passiones autem regulatæ fuerunt in Christo etiam si *pœnalitatem aliquam* importent sicut tristitia, dolor, timor, ira, et similes, perfectissime tamen subjectæ rationi, et de his agit quæstione XV.

Explicato mysterio incarnationis quantum ad unionem, et extrema assumpta, ac perfectiones, et defectus humanæ naturæ, sequitur ordine doctrinæ agere de his, quæ consequuntur talen unionem, et mysterium, et attribuuntur Christo. Reducuntur autem ad triplicem differentiam. Quædam enim considerantur in ordine ad ipsum Christum quædam: quædam in ordine ad Patrem: quædam in ordine ad nos. In ordine ad Christum, cum mysterium in hoc consistat in communicatione duarum naturarum in unitate suppositi, tria consequuntur ex positione talis unionis. Quædam pertinent ad communicationem, quatenus præ-

dicata unius naturæ convenientia supposito dicuntur de altera in concreto, et hæc vocatur communicatio idiomatum. Quædam vero pertinent ad unitatem in ipso esse a persona. Quædam vero ad pluralitatem in operando, quia naturæ quæ sunt principium operationis manserunt inconsultæ.

Igitur de communicatione idiomatum, agit quæstione XVI, ostendens quod omnia prædicata, quæ ratione naturæ dicuntur de supposito possunt prædicari de utraque natura in concreto sumpta, quia sumi in concreto est sumi pro supposito, et sic verificatur, quod Deus est mortuus, et passus, etc. et quod homo est Creator, et Deus, etc. Si tamen sumantur naturæ in abstracto non fit talis communicatio, quia non sumuntur pro supposito, sed pro natura, et ista mansit inconsulta, et sic est falsum, quod divinitas est mortua, vel quod humanitas creat, etc. Et similiter si interveniat aliqua appellatio, præcisio, vel applicatio, quæ impediatur istam communicationem sicut dicitur, quod homo ponitur in prædicamento, non tamen Deus. Si autem aliquod prædicatum non conveniat supposito solum ratione naturæ, sed etiam ratione sui, et importet aliquam repugnationem ad suppositum, non dicitur de illo absolute, sed solum cum reduplicatione naturæ, sicut non dicitur, quod Christus est creatura nisi in quantum homo, quia esse creaturam est aliquid ita transcendens, quod etiam poterat dici de supposito ratione sui.

Quoad ea vero quæ consequuntur unitatem suppositi, seu personæ in Christo ostendit, quod in Christo est tantum unum esse substantiale, quia hoc directe pertinet ad suppositum, quod simpliciter existit ut quod, naturæ enim et partes solum

coexistunt ut quo. Et similiter unitas numeralis non multiplicatur in Christo propter unitatem suppositi. Et sic absolute est unum non duo. Et de his agit quæstione XVII.

Quoad ea vero quæ consequuntur pluralitatem naturam quoad potentias, vel operationes, ostendit duo. Primo, fuisse in Christo duas voluntates, humanam scilicet, et divinam. Deinde, fuisse plures operationes. Et quidem pluralitatem voluntatum negaverunt plures hæretici, vel quia negabant in Christo esse animam, ut Apollinaris, vel quia dicebant esse unam naturam ex divina, et humana, ut Eutyches: vel quia etsi fatebantur duas naturas distinctas dicebant tamen humanam esse instrumentum divinæ, et sic ad humanam non pertinere ipsum velle, et movere, sed solum exequi, et moveri et sic non erat voluntas nisi in divina natura sicut Sergius, et Macharius dixerunt. Fides autem catholica fatetur, quod in Christo est duplex voluntas, altera divina, altera humana, et similiter omnes aliæ potentie pertinentes ad humanam naturam, non tamen habuerunt contrarietatem istæ voluntates, sed summam conformitatem, et de hoc agit quæstione XVIII. Quod vero habuerit etiam duas operationes humanam, et divinam, et quomodo, per humanam meruerit sibi et nobis, agit quæstione XIX.

Explicatis his, quæ consequuntur ad unionem incarnationis in ordine ad ipsum Christum, consequenter agit de his quæ consequuntur unionem in ordine ad Patrem. In quibus quædam sunt, quæ Christus exhibet Patri, alia quæ Pater exhibet Christo. Et quidem Christus exhibet Patri. Primo, subjectionem de qua agit quæstione XX. Secundo, exhibet orationem tamquam advocatus noster, et pro se etiam oravit,

semperque fuit exauditus pro eo, quod efficaciter rogavit. Et de hoc agit quæstione XXI. Tertio, exhibet Patri ministerium sacerdotii offerens se ipsum in hostiam ad destinationem peccati. Et sic de sacerdotio ejusque effectu qui æternus est ratione gloriæ ad quam deducit, agit quæstione XXII. Ea autem quæ Pater exhibet Christo reducuntur ad duo. Nam primo, datilli filiationem non adoptivam, sed naturalem, temporaliter tamen communicatam in incarnatione. Et sic de adoptione agit quæstione XXIII. Secundo, Pater dat Christo prædestinationem, tum passive, scilicet ut prædestinetur ille homo ad hoc ut sit Filius Dei naturalis in eodem supposito, ita quod solum secundum rationem distinguitur subjectum prædestinationis, scilicet persona illa ut homo a termino ad quem, scilicet ad filiationem naturalem ut gratis communicatam: quam etiam prædestinationem activam, ut scilicet Christus sit causa nostræ prædestinationis ex parte omnium effectuum ejus. Et sic agit de prædestinatione Christi quæstione XXIV.

Denique, considerat Div. Thomas ea quæ consequuntur unionem incarnationis in ordine ad nos. Hæc autem reducit ad duo; scilicet ad ea quæ nos debemus exhibere Christo, et ea quæ Christus exhibet nobis. Nos quidem tenemur exhibere illi omnimodam subjectionem, et reverentiam, ipsam personam etiam ut indutam humanitate adorando adoratione patriæ. Unde in quinta synodo ponitur anathema ei, qui non una adoratione Deum incarnatum adorat. Quæ adoratio, et cruci, et imagini Christi etiam defertur respective ad Christum, et non absolute ratione sui. Ejus autem Matri, et sanctissimæ humanitati consideratæ præcise ratione plenitudinis gratiæ, hyperdulia debetur, reliquis

vero sanctis dulia. Et sic agit de adoratione quæstione XXV. Ea autem quæ Christus nobis exhibet includuntur in officio mediatoris, quod consequitur ad incarnationem, et per illud Christus nos reconciliat Deo, et exhibet nobis dona gratiæ. Et sic de mediatore agit quæstione XXVI.

#### VITA ET GESTA CHRISTI.

Explicavit hucusque D. Thomas naturam mysterii incarnationis, extrema unita, et ea quæ ex tali unionem consequuntur loquendo secundum se, et quasi in genere. Nunc in singulari descendit ad explicandum modum, quo executioni demandata est hæc ineffabilis unio, et quomodo opus suum in medio annorum Deus vivificaverit, operatus salutem in medio terræ. Et sic agit de his quæ Christus egit in hac vita. Cujus considerationem, seu mediationem in quatuor principales partes D. Thomas partitur. Primo, considerat ingressum Filii Dei in hunc mundum nascendo ex Virgine. Secundo, progressum vitæ ejus in hoc mundo. Tertio, exitum ejus de mundo. Quarto, exaltationem ejus supra mundum. Circa primum, meditatatur Div. Thomas ingressum Christi a conceptione ejus, usque ad baptismum; tunc enim quasi cœpfit hominibus innotescere progressus vitæ ejus. Et ita agit de conceptione, nativitate, ejusque manifestatione, circumcissione, aliisque legalibus, et baptismo.

Circa conceptionem Christi considerat primo, Matrem concipientem; secundo, prolem conceptam ejusque perfectionem. Circa Matrem, considerat dispositionem ejus circa tantam dignitatem, tum ex parte animæ, tum ex parte corporis. Ex parte quidem animæ disposita est per plenissimam